

3.

THESES THEOLOGICÆ.

De Verbo Dei, seu Scriptura sacra.

De Verbi Dei interpretatione.

De Scripturæ sacrae plenitudine & sufficientia.

De quibus

AUXILIANTE SPIRITU SANCTO:

PRAESIDE IOHAN-
NE VVINCKELMANNO, SA-
CRÆ THEOLOGICÆ DOCTORE ET
Professore in Academia Marpurgensi, publicè
pro virili respondebit

M. IOHANNES SCRIBA GODELS-
heimensis Westphalus.

15. Nouemb. in auditorio Theologorum.



MARPURGI CATTORUM,
Imprimebat Paulus Egenolphus, Typogr. Academicus.

clō lō xclv.

3

THESIS THEOLOGICA

De Verbo Dei, seu Scripturae Sacrae

De Verbo Dei Interpretatione

De Scripturae Sacrae Hermeneutica & Juristicis

De quibus

AVXILIANTUR SPIRITUS SANCTUS

PRÆSIDIO IOHANNIS

NE VVINCKELMANNI, S.A.

CRÆ THEOLOGICÆ DOCTORIS ET

Professore in Academia Marburgensi, publico

pro viro respondente

M. IOHANNES SCRIBA CODELLI

humboldtii Vyschadze

in Nomine in auditorio Theologorum




MARBURG. C. A. T. O. R. U. M.

Impressit. P. A. N. D. E. S. C. H. E. I. P. H. U. S. P. R. O. F. E. S. S. O. R.

cl. 1. 1. 1.

3





THESES THEOLOGICÆ,
De Verbo Dei, vel Scriptura sacra.



Acram scripturam certis Prophetarum, Apostolorum & Euangelistarum libris comprehensam, esse immotum Dei verbum in Ecclesia Christi indubitatum est.

2. Ipsæ enim res, quas tractat, nimirum mysteria summa super omnem humani ingenij captum posita de Sacrosancta Trinitate, de æterni Filij Dei incarnatione, de primorum hominum lapsu, de admirando redemptionis consilio, & alijs pluribus, ad quorum altitudinem nulla principum huius seculi sapientia conscendere potuit, eam non ab hominibus excogitatam, sed à Deo ipso inspiratam esse euincunt, vnde Apostolus *θεόπνευστον* vocat, 2. Timoth. 3. vers. 16. & Petrus non humana voluntate allatam Prophetiam, sed Spiritu Dei impulsos locutes esse sanctos Dei homines affirmat, 2. Petri 1. vers. 21.
3. Ideò neq; auctoritatem nec confirmationem ab Ecclesia principaliter habet, sed à solo Deo.
4. Mysteriorum enim illorum cum humana ratione pugnantium sublimitatem sola Dei Maiestas in diuinis literis loquens ita efficaciter persuadere potest, ut contradicentium conscientia vulnus sentiant.
5. Spiritus sanctus per verbum efficax naturæ impuritatem & prauitatem arguit, corda efficaciter immutat, in eis promissionum certitudinem obsignat, mentes, sicut electi in grauissimis tentationibus experiuntur, consolatur, & ad sanctitatem reformat, cum alia scripta τῶν ψυχῶν ἀνθρώπων animos relinquant profanos & securos.
6. Antiquitas auté si spectetur, hîc quicquid alij libri gentium tradunt, illud sacra Moysis historia longè inferius est,

quæ certum mundi exordium, temporum seriem, humani generis originem & alia tradit, de quibus illi vel nihil, vel certi nihil, vel fabulosa pleraq; habent.

7. Hæc scriptura sibi in omnibus consentiens & coherens, atq; ipsa se per seipsam communiens, ad omnes hereses, quæcunq; unquam excogitatae sunt, aut excogitari possunt à subtilissimis hominibus, refutandas sufficit tanquam à Dei spiritu, qui in ea spirat, præuisas, ut veritas tandem triumphet, illis in fumum abeuntibus.

8. Huic doctrinæ Deus stupendis miraculis non in occulto, sed palam factis, quæ creatæ potentia *ἀμύμητα καὶ ἀδύνατα*, testimoniū dedit, quam non minus Vaticinia Prophetarum, quibus exactissimè euentus respondet, commendant.

9. Et sicut hæc doctrina, licet humanæ rationis iudicio, voluntati & affectibus repugnet, contra omnes tamen Diabolorum & mundi furores, in vniuersum mundum propagata & conseruata, Ethnicorum Idololatriam, oracula & superstitiones, quæ radices in animis hominum egerant altissimè, subruit & sustulit, idq; annis præter hominum cogitationem paucis: Ita etiam Ecclesia super hoc Prophetarum & Apostolorum fundamento exstructa, inter ruinas regnorum & imperiorum mundi contra Diabolorum insultus & fremitus in acerbissimis persecutionibus inuicta permanfit.

10. Quæ omnia & alia *κρίματα* irrefragabiliter euincunt, hæc doctrinam sacris literis contentam Deum autorem habere.

11. Inter libros autem sacro volumine, quod Biblia καὶ ἱερογραφία dicitur, comprehensos tenemus discrimē illud, quod ex eis alij sunt Canonici, alij Apocryphi.

12. Canonici, de quorum diuina autoritate nunquā in Ecclesia Christi dubitatum, sic nominati sunt, quod sint tutissimus Canon & regula, secundum quam omnia alia dicta, scripta & dogmata liberè iudicanda, & quæ cum his congruunt, amplectenda, quæ verò cum eis pugnant, reiicienda sunt.

13. Libri Canonici veteris Testamenti sunt Pentateuchum Moysis,

*Canonici libri cur
sic dicitur*

Moyſis, Liber Iofue, Iudicum, Ruth, duo libri Samuelis, duo Regum, duo Paralipomenon, duo libri Eſdræ, Eſther, Iob, Pfalmi, Salomonis Prouerbia, Eccleſiaſtes, Cantica, quatuor Prophetæ Maiores, Eſaias, Ieremias, unâ cum threnis, Ezechiel, Daniel, & duodecim minores, Oſeas, Ioel, Amos, Obadias, Ionas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Haggæus, Zacharias & Malachias.

14. Libri Canonici Novi Teſtamēti ſunt, Matthæus, Marcus, Lucas, Iohannes, Acta Apoſtolorum, Tredecim Episto-
læ Pauli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephēſios, ad Philippenſes, ad Coloffenſes, ad Theſſalonicenſes duæ, ad Timotheum duæ, ad Titum, ad Philemonem, Catholicæ duæ, una Petri, Iohannis altera.

15. Apocryphos libros non intelligimus eo ſenſu, quo ſcri-
ptores quidam Eccleſiaſtici adulterinos, ſuſpectos & ab hæ-
reticis profectos ita vocant, verùm illos, qui ſacro quidem
Codice continentur, ſed tamen vel de ipſorum autoribus vel
autoritate in primitiua Eccleſia dubitatum eſt, & iudicatum,
vt quidem ad populum utiliter legerentur, ſed ad fidem do-
gmatum Eccleſiaſticorū faciendam non valerent. Dicti ſunt
aliâs Eccleſiaſtici.

16. In hoc cenſu ſunt ex Veteri Teſtamento, tertius & quar-
tus liber Eſdræ, ſupplementum Eſther, Oratio Manaffis, To-
bias, Iudith, Baruch, Episto-
la Ieremiæ libro Baruch annexa,
Sapientia Salomonis, Eccleſiaſticus, Danielis ſupplemen-
tum, libri Machabæorum.

17. In Novo Teſtamento numerantur, Episto-
la Petri po-
ſterior, Iohannis duæ poſteriores, Episto-
la ad Hebræos, Epi-
ſtola Iacobi, Episto-
la Iudæ, & Apocalypſis Iohannis.

18. Qui tamen libri maiorem in Eccleſia autoritatem ob-
tinent, quàm Apocryphi Veteris Teſtamenti, & cum Cano-
nicis fermè parem.

19. Cùm igitur veteres rectè conſtituerint diſcrimen inter
eos libros, quibus vel ipſe Chriſtus & Apoſtoli eius teſtimo-
nium

Apocryphi

nium tribuunt infallibilis veritatis, vt sunt Lex, Prophetæ & Psalmi, vel qui ipsis matricibus & originalibus Ecclesiis, quæ autores illos sacros extraordinariis Spiritus sancti donis & testimoniis ornatos in carne viderunt, à quibus libros certos acceperunt, quæ & de consensu viuæ prædicationis cum eadem literis consignata iudicare potuerunt, constanter attestantibus, ab initio, id est arce autoritatis absq; dubitatione collocati fuerunt, & rursus illos, qui istis testimoniis destituuntur: temerè faciunt Tridentini Concilij patres, qui omnes iam dictos libros pariter faciunt Canonicos.

Concil. Trident. sess. 4.

20. Neq; enim huic aut vlli Concilio eam tribuimus auctoritatem, quod libros non sacros & Canonicos, ita sacros & Canonicos vel facere vel declarare possit, vt de illorum auctoritate pariter certi simus, nec unum alteri, quod Pontificij contendunt, præponere debeamus.

Rob. Bellarmin. Tom. 1. lib. 1. de verbo Dei c. 10.

21. Tribus de causis id Ecclesiam, id est, Concilium & Papam facere posse contendit Bellarminus. Primum ob quædam veterum fide dignorum hominum de singulis testimonia, deinde ob similitudinem librorum de quibus ambigitur, cum iis de quibus non ambigitur, deniq; ob communem sensum & iudicium omnium Christianorum, quo paulatim pro Canonicis sint recepti.

22. Respondemus ad primum: Si vel ipsorum Apostolorum vel omnium veterum consentientia de illis testimonia proferant Pontificij, tùm ipsos, quod cõtendunt, obtinere. Quorundam enim sanctorum virorum de illis testimonia ita comparata sunt, vt eis non minus sanctorum contraria opponi possint, ob quam testimoniorum collisionem libros illos pro Canonicis habendos non esse dicimus.

23. Secunda ratio efficit, ut illi libri de quibus non ambigitur, meritò sint in arce autoritatis, vt Augustinus loquitur, salubriter collocati, ex quibus de similitudine doctrinæ eorum librorum, de quibus ambigitur, fit iudicium. Illi enim horum Canon sunt.

24. Ter-

24. Tertium pronunciatum negamus, nimirum ab omnibus Christianis illos, de quibus sermo est, pro Canonicis receptos.

25. Et hæc de illis in genere iudicamus, quæ de singulis opponi posse videntur, ea in disputationis progressu data occasione *ſu de q̄* examinabimus.

26. Sicut itaq; scripturam Canonicam esse ipsum Dei verbum liquidò constat: Ita illam esse unicam certissimam & tutissimam regulã fidei & vitæ nostræ ex eadem manifestũ est.

27. Beati qui custodiunt testimonia eius, Psal. 119. ver. 2. Ad legem & ad testimonium, si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis aurora, Esai. 8. ver. 20. Ecclesia ædificata est super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, Ephe. 2. v. 20.

28. Christus sicut suam missionẽ testimonio Esaiæ ex cap. 61. comprobatur, Luc. 4. v. 18: Ita Sadducæos mortuorum resurrectionem negantes ex scripturis cõvincit, erratis, inquiens, nescientes scripturas, Matth. 22. v. 29. Ex quibus etiam Pharisæis os obstruit, docens Messiam esse non tantum filium, sed etiam dominum Davidis, Matth. 22. v. 43. Sicut idem Dominus iubebat Iudæos scripturas de seipso testantes scrutari, Iohan. 5. v. 39.

29. Iohannes Baptista ex scripturis suam vocationem adstruit, ego, inquiens, vox clamantis sum in deserto, vt dixit Esaias, Ioh. 1. v. 23.

30. Commendantur Berroënses Apostolorum conciones ad normam sacrarum literarum exigentes, Act. 17. v. 11.

31. Sacræ literæ erudire nos possunt ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu. Omnis. n. scriptura diuinitus inspirata est utilis ad doctrinam, ad redargutionẽ, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iusticia: ut perfectus sit homo Dei ad omne bonum opus instructus, 2. Tim. 3. ver. 15. 16. & 17.

Habemus verbum Propheticum firmum, cui attendentes rectè facimus velut lucernæ lucenti in obscuro loco, donec dies illucescat, & lucifer exorietur in cordibus nostris, 2. Petri 1. ver. 19.

Quia

Canonica Script. unica certissima & tutissima fidei & vitæ nostræ regula.

Quin Paulus testatur coram Agrippa nihil se quicquam dicere extra ea quæ Prophetæ & Moses prædixerunt futura esse, Act. 26. ver. 22. sicut idem regulam cultus diuini sibi præfixit, Credens, inquit, omnibus, quæ in Lege & Prophetis scripta sunt, Act. 24. v. 14.

Bellarmin. lib.
1. de verbo
Dei c. 1.

32. Concedunt quidem Pontificij scripturam sacram esse verbum Dei & certissimam atq; tutissimam fidei regulam, sed addunt, iuxta mentem Ecclesiæ Synodo Carthag. 3. olim, & nuper Synodo Trident. Sess. 4. explicatam.

33. Qua additione volunt scripturam Canonicam non esse solam verbum Dei & fidei regulam, sed cum ea coniungunt traditiones non scriptas cum illa pari pietatis affectu & reuerentia suscipiendas ac venerandas, Et præterea interpretationem non nisi à Pontifice & Concilio petendam.

Bellarmin. lib.
3. cap. 9. de
verbi Dei in-
terpret.
Fr. Cost. in
Enchir. de
Sacra scri-
ptura.

34. At quomodo homines illi seriò scripturam crederent certissimam & tutissimam regulam, quam, quia varios sensus recipiat, aiunt dicere non posse, quis sit verus; quam literam mortuam appellant scriptam atramento in membrana vel charta, quam si quis vel truncare velit, vel torquere, vel prauis expositionibus corrumpere, nihil sentiat, vt nihil de regula Lesbia & naso careo dicam, quibus cum sacras literas Pontificij compararunt.

35. In his, quæ in scripturam & Spiritus sancti per hanc directionem contumeliosa sunt, plurimum illos hallucinari, non tantum ex iam dictis scripturæ testimoniis liquet, sed postea etiam pluribus sigillatim demonstrabitur.

36. Derestanda est etiam Gasparis Schvvenckfeldij, & aliorum fanaticorum sententia, remittentium homines ad Enthusiasmos & internos afflatus, & verbum scriptum tanquam literam occidentem respuentium.

37. Si enim hæc vt norma fidei & vitæ sequenda est sola, non interni afflatus sequendi sunt. Si scriptura nos erudit ad salutem, non vt litera mortua contemnenda.

38. Si verbum Dei auditum, lectum, meditatum, est organum

num

num Spiritus sancti efficax, potētia nimirum Dei ad salutem
omni credenti, ex cuius auditu fides est, Rom. 1. ver. 16. & 10.
v. 17. per quod Deus salutem operari vult, 1. Cor. 1. v. 21. nequa-
quam pro litera mortua habenda.

39. Quod autem Apostolus 2. Cor. 3. v. 6. legem (de ea enim
ipsi sermo est) literam occidentem appellat, ex eo nihil mi-
nus sequitur, quā illam esse literam mortuam.

40. Quandoquidem enim ratione sui effectus, dum pecca-
tum arguit & manifestat, iram operatur & maledictionem
denunciat, spiritualiter hominem occidit, vsq; ad eum non erit
litera mortua, vt potius sermo Dei viuus & efficax, & quouis
incipite gladio penetrantior sit, Heb. 4. v. 12. Siquidem quod
mortuum est, occidere non possit.

41. Neq; ab hoc errore Pontificij alieni sunt, licet illo Pon-
tificem & eius asseclas Bellarminus exonerare velit. Nam hæc Bellarmin.
Tom. 1. lib. 1.
de verbo Dei
c. 2. verba cuiusdam nouæ societatis Pontificij sunt, quæ repe-
tere libet: Istæ (scripturæ Euangelistarum & Apostolorum)
sunt litera mortua, scripta atramento in membrana vel char-
ta, quam si quis vel truncare velit, vel torquere, vel prauis ex-
positionibus corrumpere, nihil sentiat.

42. Quibus verbis, vt iterum dicam, in scripturam sacram
& Deum ipsum autorem, qui per illas nobis loquitur, vt ait
Augustinus, contumeliosus ei tanquam literæ mortuæ iudi-
cium Ecclesiæ cordi impressum opponit, illamq; secundum
hoc, non hoc secundum illam diiudicandum statuit.

43. Aliter Christus, qui inquit, verba mea spiritus & vita
sunt, Iohan. 6. v. 63.

44. Et præclare Chrysostomus, multi, ait, Spiritum sanctū
iactant, sed, qui propria loquuntur, falsò illum prætendunt.
Vt enim Christus non à seipso loqui se testatur, quia ex Lege
& Prophetis loquebatur: Ita si quid *præter* Euangelium sub
titulo spiritus obtrudatur, ne credamus. Quia sicut Christus
Legis & Prophetarum impletio est: Ita Spiritus sanctus Eu-
angelij.

B 45. Quod

45. Quod si verò maxima multitudo hominum à veritate deficeret, sicut id extremis temporibus futurum Apostolus prædixerat, 1. Tim. 4. v. 1. & 2. Tim. v. 3. Vtq; adeò ut vix vnum Ecclesie membrum viuum in oculos incurrat, sicut Elias suo tempore se solum putabat relictum sincerum Dei cultorem, Annè ibi multitudinis istius ἐναντίως saltem Ecclesie titulū gerentis iudiciū pro testimonio Spiritus sancti habendum?
46. Sed cum ex scripturis sanctis suam idololatriam, nimirum ἀγιολατρείαν, σκελετολατρείαν, ἄρτολατρείαν, sacrificium Misæ propiciatorium pro peccatis viuentium & defunctorum, μελουσίαν panis Eucharistici in corpus Christi, mutilationem Cœnæ & alia βδελύγματα taeri nequeant, ad multitudinis hominum iudicium & consuetudinem longi temporis confugiunt. Annè verò hoc fallax iudicium & sensus multitudinis certissimis Spiritus sancti oraculis & testimoniis, verbo Prophetico & Apostolico firmissimo & notissimo comprehensis præiudicauerit, illaq; secundum hoc iudicium multitudinis interpretanda, vt Pontificij volunt, & non potius hoc secundum illa tanquam tutissimum Canonem diiudicandum & exigendum fuerit?
47. Ad legem, inquit scriptura, & ad testimonium, qui non dixerit secundum verbum hoc, non erit illis lux matutina.
48. Cùm igitur scriptura ipsa sit vnica fidei & vitæ norma ac regula tutissima, hanc omnibus omninò hominibus, qui eam legere possunt, in suis etiam linguis vulgaribus patere debere, quin omnes ad legendam & in timore Domini meditandam excitandos esse contra Pontificios adserimus.
49. Contendunt hi scripturas non debere publicè legi in lingua vulgari, nec passim omnibus permitti legendas in lingua vulgari. Cùm autè omnes linguæ dedicatæ sint loquendis magnalibus Dei coram omni populo, qui sub cælo est, ab ipso Spiritu sancto in die Pentecostes, Acto. 2. quidni etiã in lingua vulgari scripturæ, quæ certissimè Dei magnalia continent, legerètur, & ad legendas illas omnibus aditus pateret?
50. Quidni sermo Propheticus & Apostolicus olim po-

pulo viua voce adnunciatus, nunc etiã populo in lingua vulgari ex scripturis legeretur, caneretur, & legendus omnibus literas scientibus permitteretur?

51. Habent Moſen & Prophetas, inquit Abraham, hos audiant, Luc. 16. v. 129. Si audire debet populus Moſen & Prophetas: Ergo illos legi & prædicari oportet in lingua vulgari & intellectu facili.

52. Sermo Chriſti habitet in vobis opulentiẽ cum omni ſapientia, Coloff. 3. v. 16. At ille ſermo in ſcripturis ſanctis continetur. Ergo populo Chriſtiano frequenter ex ſcripturis proponi & tradi debet, vt inde ſanctæ ſapientiæ gloriã conſequatur, & propter cognitionem ſtatutorum Dei populus ſapiens & intell gens dicatur, Deut. 4. v. 6 & 8.

53. Adducunt Pontificij vſum veteris Eccleſiæ à tempore Eſdræ vſq; ad Chriſtum, quo tempore lecta fuerit ſcriptura coram populo lingua Hebræa, quæ iam non amplius ei fuerit materna, ſed Chaldaica ſeu Syriaca, ſicut poſt captiuitatem Babyloanicam liber legis fuerit lectus vniuerſo populo Eſdra interpretante, 2. Eſdræ 8. v. 8. 9. 12.

Bellarmin. lib.
2. cap. 15. de
verbo Dei.

54. Reſpondemus primũ antiquitus librum legis populo omninõ lingua materna, id eſt, Hebræa ex mandato Dei legi debuiffe, Deut. 31. v. 11. & etiam lectum fuiſſe toti plebi, 2. Paral. 34. v. 30. Sicut etiam Prophetæ lingua materna ſuas conciones, quas nobis conſignarunt literis, ad populum habuerunt. Quid ni igitur adhuc lingua materna hæc ipſa ſcriptura legeretur coram populo, vel literas ſcientibus legenda concederetur?

55. Verũ ex hiftoria Eſdræ Pontificij nunquã docebunt, populum ita Hebrææ linguæ oblitum fuiſſe, vt ſine interpretatione nihil intellexerit.

56. Nam Eſra à luce ipſa vſq; ad meridiem coram viris & mulieribus & intelligentibus, id eſt, qui per ætatem audire & intelligere poterant, aperto libro legit, & aures totius populi fuerunt intenti ad librum legis, lib. 2. cap. 8. v. 3.

B 2

57. Quod

57. Quod argumentum est, populum omnino intellexisse, quæ plures horas legisset Etra.

58. Quod autem sequitur: Et intelligere faciebant populum legem, Et legerunt in libro legis explanatè, & apposuerunt intellectum, & intellexerunt scripturam ipsam, v. 7. & 8. his verbis indicatur, Efram & Leuitas excitasse populum ad attentionem, & legisse legem explanatè & distinctè, legem acuisse, & si occurreret locus obscurior, illum explicasse. Hinc scilicet orta est magna lætitia, quia intellexit populus verba legis, quæ docuerant eos, v. 12. vbi nulla translationis in aliam linguam mentio fit.

59. Christus sanè, cum ad legendam scripturam Esaiæ surrexit, ita legit, ut à suis συμπατριώταις Nazarethanis intelligeretur, Luc. 4. v. 16. & seq.

Bellarmin.
ibid.

60. Adducunt præterea usum Apostolorum, qui Euangelia & Epistolas suas scripserint non omnium gentium linguis, quas tamen sciuerint, sed vel Hebraicè vel Græcè.

Cicero pro
Archia.

61. Respon. concedimus Apostolos duabus illis linguis, Hebræa & Græca, & tamen hac certissimè Euangelia & Epistolas suas scripsisse, è quibus translatio in linguas vulgares facilis fuit, cum Hebræa lingua Iudæis per orbem terrarum dispersis nota, Græca autem non tantum in Oriente, sed & in Occidente passim esset notissima, teste Cicerone, qui ait: Græca leguntur in omnibus ferè gentibus.

62. Usus autem Apostolorum docet, omnes omnium nationum, quæ sub cælo sunt, linguas ab ipso Spiritu sancto per Apostolos decantandis Dei magnalibus, quæ diuinis Prophetarum & Apostolorum literis continentur, esse consecratas in die Pentecostes.

63. Latinas bibliorum translationes ante Hieronymi tempora fuisse penè innumerabiles, testatur August. li. 2. de Doct. Christ. cap. 11.

64. Et quamuis Cicero scribat Latinam linguam suis finibus exiguis sanè contineri: tamen constat cum Romani Imperij

perij in Orientem propagatione etiam Latinæ linguæ noticiam propagatam.

65. Vnde etiam hac occasione multis non tantum doctis, sed indoctis etiam legere scripturas licuit.

66. Sed & in alias vulgares linguas iam olim in usum populi versam esse scripturam accepimus.

67. Quid verò interest magnalia Dei à sanctis Prophetis & Apostolis descripta ex lingua peregrina per interpretem ex tempore ad populum exprimere, vel antea translata legere, & legenda permittere?

68. Cura Bellarmini vana est, qua timet, ne vulgus ex scriptura lingua vulgari lecta, & tamen non intellecta occasionem errandi in doctrinâ fidei & præceptis vitæ capiat.

69. Liberat te, Bellarmine, ab illo vano metu David, sic de doctrina cælesti psallens, Lex Jehouæ perfecta, conuertens animas, testimonium Jehouæ fidele, *sapientem efficiens paruulum*, præcepta Jehouæ recta, lætificantia cor, præceptum Jehouæ purum, illuminans oculos, Psal. 19. v. 8. & 9.

70. Anné Berroënses exquirentes in scriptura occasionē errandi vel in fide vel in præceptis vitæ arripuerunt? Annón magis in fide & pietate ædificati & confirmati sunt? Quidnî igitur hodie etiam audientes sacras conciones, & diligenter in timore Domini legentes ac meditantes scripturam sacram lingua vulgari expressam in fide & pietate plurimum proficiant?

71. Sed & diuina officia, publicas Ecclesiæ preces, administrationem sacri Baptismi, & Sacrosanctæ Cœnæ &c. non vulgari cuiusq; populi lingua, sed sicut olim in Græcia græca, ita nunc Latina lingua tanquam ignota, & idèd grauiore peragenda esse contendunt: Nec quicquam obstare existimant, quod populus nihil horum intelligat, quæ ad publicum Dei cultum pertinent, siquidem solis clericis relictum sit, vt communes preces & laudes in Ecclesia peragant.

72. Vt autem non dicam nunc multos ex clericis preces il-

Bell. Tom. 1.
lib. 2. de verb.
Dei interpret. c. 16.

las demurmurare, recitare & canere sine mente & intelligentia, annón ita orans, psallens & gratias agens, sic preces, cantica & laudes peragit, & spiritu suo benedicit, ut qui implet locum Idiotæ, non possit Amen dicere, quandoquidem quid ille dicat, nescit, 1. Cor. 14. v. 9.

73. Loquitur ibi Paulus de orationibus, canticis & gratiarum actione in genere, quæ in Ecclesia peraguntur, & omnia vult ad ædificationem fieri.

74. An verò non ideò verba institutionis Baptismi & Cœnæ Dominicæ recitantur in administratione horum diuinorum mysteriorum, ut populus de substantia & usu illorum salutari admoneatur? Accipite, comedite, hoc facite, mortem Domini annunciabitis, &c. quæ omnia populo dicuntur, & non Deo, vbi Apostolus in edente sermonem vocem *εὐσημὸν* requirit.

75. Sed verè efficiunt Pontificij vt de suis cœtibus verum euadat illud Prophetæ: Appropinquauit populus iste ore suo, & labiis suis honorauit me, cor autem eius elongauit se à me, Esai. 29. v. 13.

76. Neq; enim tantùm locus ille agit de iis, qui ore profitentur pietatem, dicuntq; se Deum diligere, & tamen factis contrarium agunt, vt Bellarminus contendit, sed in genere de cultu, ad quem pertinent preces, gratiarum actio, Verbi Diuini tractatio.

77. Quæ omnia sunt Idiotis vt liber obsignatus, aut Epistola, quam si des nescienti literas, ac dicas, lege nunc ista, & ipse dicat, non noui literas. Qua de re sermonem ibi instituit Propheta.

De interpretatione scripturæ, & indice controuersiarum, Positiones.

Non negamus in scripturis occurrere locos obscuros, & intellectu difficiles.

2. Neq;

2. Neq; etiam negamus magnam in scripturis esse sapien-
tiae altitudinem, ut si quis ab ineunte aetate vsq; ad extremam
senectutem in eius lectione quam diligentissime versetur,
semper tamen in ea proficere possit, quandoquidem nos sem-
per in hac Schola Spiritus S. discipulos esse Dominus velit.

3. Vtrunq; cum nos Pontificij negare fingant, frustra con-
tra nos pugnant, non tam ex scriptura, quam ex patribus, quo-
rum dicta non ponderant, sed numerant, nec integrè aduer-
sus nos producant.

Bellarmin.
Fräcisc. Cost.
& alij.

4. Et si verò ista minimè negemus: tamen ita scripturam ra-
tione perpetui sui tenoris apertam esse pronunciamus, ut ea,
quæ saluti necessaria sunt, quæ ad fidem moresq; viuendi per-
tinent, manifesta sint, nec ad ea tanta perueniatur difficulta-
te, sicut Chrysostomus & Augustinus rectè sentiunt.

5. Nisi enim ita res se haberet, quomodo doctrina, lux, lu-
cerna pedibus nostris, & lux semitis, quomodo præceptum
Domini lucidum, conuertens animas, dans intellectum par-
uulis, lucerna lucens in loco obscuro, cui attendentes rectè
faciant, prædicaretur? Psal. 119. v. 105. Psal. 119. v. 8. 2. Pet. 1. v. 19.

6. Cauillum autem est frigidum Bellarmini, hæc testimo-
nia ita eludentis, scripturas dici lucidas, imò lucem & lucer-
nam, non quòd facile intelligantur, sed intellectæ cum fue-
rint, mentem illustrent.

7. Quasi verò lux & lucerna lucida sit, quæ in locum obscu-
rum illata tenebras non discutiat. Quasi verò scriptura lux &
lucerna lucens dici possit, si ipsa simpliciter obscura & diffi-
cilis legentis mentem non illustret?

8. Quamuis enim res, quæ in scripturis dicuntur, sint sum-
ma mysteria de Sacrosancta Trinitate, de incarnatione Filij
Dei, de admirando redemptionis nostræ opere, de Sacra-
mentis, de angelorum natura, de illorum cum malis spiriti-
bus pugna, & operationibus mirandis, de conuersione ho-
minis, de prædestinatione &c. Ipsa tamen clarè & perspicuè
proponuntur hinc inde, ut non tantum pij de illis *πληροφο-*
είασι.

είαν, id est, certam & salutarem persuasionem Spiritu sancto intus mentes illorum illuminante, & veritatem in cordibus obfignante, concipiant, sed ne quidem professi hostes veritatis in scripturas incidentes, ea in iis tradi negare possint, licet ad rationis trutinam omnia exigentes verbo Dei aperto contradicant:

9. Hæretici quamvis illa peruertant, ex ipsis tamen scripturis apertis conuincantur.

10. Quæ autem obscuriora sunt & difficilia, illa pij inuocato Spiritu sancto ἐρευνήσει καὶ ἀνακρίσει, facta quadam familiaritate cum ipsa lingua scripturarum paulatim magis ac magis discutunt.

August. lib. 2.
de doctrina
Christ. c. 9.

11. Sumantur, inquit Augustinus, de manifestioribus exempla, & quædam certarum sententiarum testimonia dubitationem de incertis auferant.

12. Quod si verò mensa hæc fidelibus è regione hostium, id est, Satanæ & mundi præparata, obstinatis infidelibus fit in laqueum, retributionem & offendiculum, id ipsorum culpâ fieri scriptura testatur, Psal. 69. v. 23.

13. Hinc Apostolus ait: quod si Euangelium nostrum operum est, in iis, qui pereunt, operum est, in quibus Deus seculi excæcauit oculos infidelium, vt non fulgeat eis illuminatio gloriæ Christi, 2. Cor. 4. v. 4.

Status Controversiæ

14. Cum itaq; de scripturæ interpretatione agitur, hoc inter nos & Pontificios controuertitur, An ita sit scriptura obscura, incerta & ambigua, vt interpretatio vel ex patribus vel aliunde petenda sit?

15. Donum interpretandi scripturas sanè necessarium est in Ecclesia, nec est cuiusuis: Idiotis autem sufficit tenere ex scriptura summam salutis, fundamenta fidei, & regulam rectè viuendi, quibus in fide & pietate ædificandis donum interpretationis, quod in Ecclesia vigere debet, plurimùm conducit.

16. Verùm nos contra Pontificios affirmamus scripturæ inter-

interpretationem ex ipsa scriptura petendam per collationem perpetuam eius sententiam, ita ut ex iis quae aperta sunt, obscura illustrentur, & quae incerta videntur, illorum dubitationem certa auferant, quae contraria, consideratione scopi, antecedentium & consequentium aliarumque circumstantiarum collatione concilientur.

17. Quam ad rem plurimum momenti habet cognitio linguarum, ac imprimis praeter Latinam Graecae & Hebraeae, ut quando in translationibus vel verborum & sententiarum ambiguitas & obscuritas, vel lectionis varietas, vel suspicio erroris à librario commissi occurrit, vel quia interpretatio cum analogia fidei aliisque scripturae locis pugnat, ut erroribus patrocinetur, vel cum latens quaedam *ἐνέσχημα* & vocis proprietates in originali lingua cognoscenda, aut aduersarius inde conuincendus est, ad ipsos fontes recurratur.

18. Quod enim Pontificij veterem interpretationem in Concilio Tridentino approbatam & authenticam declaratam non errasse in versione, contra autem Hebraeos fontes ita turbidos fluere aiunt, ut riuuli illis anteponendi sint, eos errare dicimus.

Bellar. lib. 2.
cap. 2. de verbo Dei.

19. Tametsi enim librariorum incuria errores alicubi irrepererint in fontes: Illi tamen vel collatione codicum facile corrigi possunt, vel non tanti momenti sunt, ut propterea fontes dicendi sint turbidi, vel in iis quae ad fidem & mores pertinent, scripturae integritas desideretur, vel non riuulis versionis veteris, quam errores non paucos habere docti demonstrant, longè anteponendi, ex illisque hi corrigendi sint.

20. Ita ergo scripturam sui ipsius esse interpretem, nec egeret patrum interpretatione affirmamus.

21. Reuerenter sanè utimur patrum laboribus, qui suis commentariis multa scripturae loca utiliter illustrarunt.

22. Verum eo ipso hoc commendamus in patribus, quòd scripturas non ex priuato iudicio & arbitrio (non enim est priuatae interpretationis scriptura) sed ex scripturis ipsis interpretati sunt.

C

23. Vbi

de patrum laboribus

23. Vbi enim suum potius iudiciū & arbitriū, quàm Spiritus sancti per scripturā *χειραγωγία* secuti sunt, ibi illos bonam pace, quin etiam hortatu ipsorum mittimus.

Bellar. Tom.
1. lib. 3. cap. 3.
de verbi Dei
interp. Con-
cil. Trid. sess.
4.

24. Sicut autē hallucinantur grauitē Pontificij, dum scripturæ interpretationem & iudiciū de controuersis adstringunt ad Concilium Episcoporum à Pontifice confirmatum, vel ad Pontificem cum Concilio, quod ipsi appellant Ecclesiam, ubi certò inueniatur Spiritus sanctus: Ita nostris Theologis iniuriam faciunt, quando eos unumquēq; hominem priuatum interpretem scripturæ, iudicem & definitorem controuersiarum ex suo priuato ingenio & iudicio constituere scribunt.

25. Nam dicimus omninò scripturas intelligendas & interpretandas esse, non proprio ingenio, sed eo spiritu quo factæ sunt, id est, Spiritu sancto.

g. dil. v. 15
v. 15
150

26. Quæris, ubi inueniatur ille spiritus certò? Respondemus in scripturis ipsis. Si enim locus obscurior incidat, ipse Spiritus sanctus nobis orantibus, scrutantibus & exquirentibus per alias manifestiores sententias verum sensum aperit.

27. Si controuersia decidenda sit, ut puta Ariana, ipse Spiritus sanctus in scripturis eam decidit, in quibus Christū verum Deum esse ostendit, ac eorum locorum, quæ in contrariam partem obici possunt, sententiam veritati illi non repugnantem nobis patefacit.

28. Atq; ad hunc modum Christum *ὁδηγόν*, Apostolos arietes habemus, quos quæ ouicula non sequatur? vt ait B. Augustinus præfat. in Psal. 68.

29. Christus enim Satanam scripturam deprauantem refutat ex alio loco scripturæ, quo, quod ille omiserat supplet, Matth. 4. v. 7.

30. Idem Sadducæos resurrectionem mortuorum negantes ex scripturis refutat, Erratis, inquit, nescientes scripturam, Matth. 22. vers. 29.

31. Apostoli Iudæos resurrectionem Christi negantes ex scriptu-

Scripturis reuincunt, Act. 2. v. 25. & seqq. Sicut & Apollos Iu-
dæis ex scripturis ostendit Iesum esse Christum.

32. Paulus gratuitam iustificationem, quæ fit per fidem sine
operibus, ex scripturis Veteris Testamenti grauitè adstruit,
quin se hoc ipsum Euangeliũ prædicare testatur, quod Deus
per Prophetas prædixit in scripturis sanctis, Rom. 1. v. 2.

33. Cùm verò secundum hoc verbum, quod ipse Christus
locutus est, quod Apostoli eius literis consignarunt, iudican-
di simus in nouissimo die, teste Christo, Iohan. 12. ver. 28. &
Paulo Rom. 2. ver. 12. Quidnì igitur secundum hanc normam
nobis docendum, credendum, sapiendum, & omnia deniq;
probanda? 1. Thessal. 5. v. 21. Ioh. 4. v. 1.

34. Scimus equidem non omnes homines habere dona
διδασκαλίας πνευματικῶν, docendi in Ecclesia, scripturas aliis ex-
ponendi, contradicentibus os obstruendi, quæ præcipuè ad
Doctores Ecclesiæ pertinent, omnes tamen summam & fun-
damentum salutis tenere, & quæ huic repugnant, agnoscere
& reiicere debere censemus.

35. Pontificij quidem sententiam suam, qua statuunt Ro-
manum Pontificem errare non posse, ex cathedra docentem
(utinam verò ex cathedra Petri doceret, id est, B. Petri Apo-
stoli, cuius successorem se fingit, doctrinã purè sonaret) eius
iudicio acquiescendum, eumq; summum iudicem esse plu-
rimis scripturæ dictis, sed perperam intellectis pingere sata-
gunt, quorum unum & alterum saltem expendemus, reli-
quorum deprauationes in ipsa disputatione refutaturi.

Bellar. lib. 4.
cap. 5. de in-
terpret.

36. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi,
quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite, secundum opera
eorum nolite facere, Matth. 23. v. 1. & 2. Ergo prælatorum do-
ctrinã sequenda, licet vita eorum sit mala. Idem à fortiori de
cathedra Petri sentiendum.

37. Respon. Errorè phrasæ committi à Pontificiis. Nam
super cathedram Moysi sedere, est legem per Moysen datam
docere, & ita in Cathedra Petri sedere, est doctrinam B. Pe-

iri sonare. Et sanè quatenus illam sonant prælati, eatenus eorum doctrinam sequimur. Sin minus, illos mittimus tanquã cæcos & cæcorum duces. Iussit enim Christus etiam cauere à fermento, id est à doctrina Phariseorum & Scribarũ, Matth. 16. ver. 6.

38. Producent locũ Act. 15. v. 28. vbi in Concilio, cui, sicut ipsi aiunt, præfuit Petrus, qui primus dixit, & Iacobus sententiam eius confirmavit, quæstio de fide sic soluta est: Visum est Spiritui sancto & nobis, &c. Et Paulum passim præcipere solitum, ut seruarent decretum illius Concilij, id est, ei acquiescerent, & non vellent ipsi de Sententia Concilij iudicare. Ergo Conciliũ cui præest Petrus, & consequenter Papa, simpliciter ἀπυπεύδουον, neq; iudicandum, sed simpliciter audiendum, eiq; acquiescendum.

39. Respon. Primũ agnoscimus Petrum, cùm antegressa esset συζήτησις, sententiam suam dixisse, sed concilio præfuisse, sibiq; præ aliis Apostolis potestatem decernendi, definiendi aut præscribendi sumpsisse negamus.

40. Ipse enim presbyteros, cùm adhortatur, se συμπρεσβυτηρον appellat, 1. Petri 5. v. 1. Qui ab aliis Apostolis etiam mitti se passus est, Act. 8. v. 14.

41. Deinde dicimus errorem phraseos committi. Quid vult sibi phrasis illa, Visum est Spiritui sancto & nobis? Annè Apostoli non Spiritui sancto soli, sed & sibi ex suo, id est humano iudicio in causa religionis decernendi, & scripturas interpretandi potestatem & auctoritatem adscribunt? At sic non ex solo Spiritus sancti dictamine controuersie religionis decidendæ, & scripturæ intelligendæ essent, quod tamen fieri debere ipsi Pontificij concesserunt.

Bellar. Tom.
1. lib. 3. c. 3. de
interpret. ver-
bi Dei.

42. Vera igitur horum verborum sententia hæc est: Visum est Spiritui sancto, cuius per scripturas nos docentis præscriptum & ductum in præsentia controuersia sequimur. Quicquid enim Apostoli hinc decernunt, id ex scripturis extruxerunt & demonstrarunt.

43. Similis

43. Similis phrasis est illa, Exod. 14. v. 31. Credidit populus Deo & Mosi. Non sanè quòd Moses præter & extra Dei mandatum populo quicquam præciperet, sed quòd Deus voluntatem suam per Mosén ipsi manifestasset. Credidit igitur populus Deum sibi omnia illa mandata præcipere, & Mosén esse Dei seruum, per quem præciperet.

44. Tertio à Petro & Apostolis ad Papam & Romanæ Ecclesiæ prælatos argumentari non licet. Petri enim & Apostolorum ἀπέστειλες vocatorum, & donis extraordinariis Spiritum sanctum diuinitus commendatorum post acceptum Spiritus sancti doctrina est ἀνωθεν & διουθεν, sed Papa cum prælatis hoc testimonium non habet, siquidem non super ipsorum, sed super Prophetarum & Apostolorum fundamentum Ecclesia ædificata sit, Eph. 2. ver. 20. Et hos sæpius in interpretatione scripturæ hallucinatos esse constat.

45. Multò fortius ipsos Epistola Synodica Apostolorum constringimus hunc in modum: Apostoli qui certò habuerunt Spiritum sanctum, & immediatè à Deo vocati sunt, decretum suum ex scripturis exstruxerunt & demonstrarunt, & nihil extra Legem & Prophetas dixerunt, vt ita scriptura vel Spiritus sanctus loquens in scripturis huic concilio præfuerit verissimè: Ergo multò magis Papa eiusq; prælati ad scripturas alligati sunt, nec audiendi, nisi ex scripturis sua demonstrent.

46. Sic Concilia Oecumenica hæreses pestilentissimas, Arianam, Eutyrianam, Nestorianam, Macedonianam confutârunt ex scripturis sanctis, & licet veterum Episcoporum testimonia etiam conquiserint: tamen illa non alia de causa receperunt, nisi quia cum scripturis consentirent.

47. Quam ipsam ob causam nos illorum Episcoporum confessiones & testificationes meritò magnificimus, sed de conciliorum autoritate alia differendi occasio erit.

48. Aliàs si nullus scripturæ sensus sine Pontifice & Concilio esset authenticus, tum omninò sequeretur, verbum Dei

C 3

accipere

accipere robur à verbo hominum, & ab hoc fidem nostram pendere.

49. Excipiunt hinc Pontificij, tum demum Ecclesiam fore supra scripturam, & hanc Papæ pedibus subiici, si iudicare vellet, an vera sint verba scripturæ, quod cum non faciat, sed posito hoc fundamento certissimo iudicet, quæ sit vera verborum scripturæ interpretatio, non esse supra scripturam, sed supra priuatorum hominum iudicia.

50. At contra: Si scripturæ sensus, quem ipsa verba aut res verbis expressæ præbent, non est authenticus sine Papa & Concilio, tum sententia scripturæ, id est ipsum verbum Dei, quod illam sententiam in se continet, eamq; legentibus & meditantibus præbet, robur accipit à Papa & Concilio, & tum Papa & Concilium non est supra iudicia priuatorum hominum tantum, sed supra ipsum verbum Dei vel sententiam scripturæ, maiorq; est autoritas Papæ & Concilij quàm scripturæ.

Bell. lib. 3. de
interp. verb.
Dei c. 10.

51. Sciendum est, ait scriptor Pontificius, propositionem fidei tali Syllogismo concludi: Quicquid reuelauit Deus in scripturis, est verum: Hoc Deus reuelauit in scripturis, Ergo hoc est verum. Ex propositionibus huius Syllogismi prima certa est apud omnes, secunda apud Catholicos est firmissima. Nititur enim testimonio Ecclesiæ, Concilij vel Pontificis, de quibus habemus in scripturis certas promissiones, quòd errare non possint, Act. 15. Visum est Spiritui sancto & nobis, & Luc. 22. Rogavi pro te, ne deficiat fides tua. At apud hæreticos nititur solis coniecturis vel iudicio proprii spiritus, qui plerunq; videtur bonus, & est malus. Et cum conclusio sequatur debiliorem partem, fit necessariò, vt tota fides hæreticorum sit coniecturalis & incerta. Hæc ille.

52. Respondemus ad assumptionem: Illam de omnibus fidei dogmatibus apud nos (quos hæreticissimus hæreticos calumniatur) esse certissimam, non ideò, quòd non alio fundamento nitatur, quàm testimonio Ecclesiæ & Concilij, nedum, Pontificis.

Pontificis, sed quia Dominus hoc dixit, quia ibi scriptum esse legimus, & Spiritus sanctus per scripturam hanc veritatem in nobis obsignat. Sin verò fides nostra niti deberet testimonio Ecclesiae Romanae, Concilij vel Pontificis, tum in tentationibus inniteretur baculo arundineo, qui saepè incurvatus & fractus est.

53. Negat Pontificius errare posse Ecclesiam Romanam (de illa enim loquitur) Concilium & Pontificem primùm, ex loco Act. 15. de quo iam responsum est. Deinde ex promissione Christi facta ad Petrum, Luc. 22. Quae cum personalis sit, ad Papam, Concilium & Ecclesiam Romanam trahi absolute non debet. Pertinet autem ad veram Christi Ecclesiam, hoc est, ad oves vocem pastoris Christi audientes, quam quia audiunt, fides earum ob intercessionem Christi non deficit.

54. Si verò hæc Christi oratio ad omnes Papas simpliciter pertineret, tum non esset exaudita.

55. Loquitur enim Christus de fide iustificante, quae ob Christi orationem in Petro finaliter non defecit.

56. At in multis Papis defecit, & deficere potuit, id quod demonstrare non est difficile.

De Scripturae sacrae plenitudine & sufficientia.

EXstare scripturam verè diuinam, & libros Prophetarum & Apostolorum esse illam diuinam scripturam, ipsa res & mysteria, quae in illis continentur, ipsa maiestas in eis loquens & spirans, & præter alia, quorum supra facta est mentio, *χρημία*, certissimum Spiritus sancti testimonium veritatem in cordibus fidelium obsignantis nobis abundè fidem faciunt. Hanc scripturam & hos libros Prophetarum & Apostolorum per se sacros & diuinos nobis Ecclesia vt testis & custos commendat.

2. Etsi autem libros illos Prophetarum & Apostolorum esse verè diuinos atq; à Prophetis & Apostolis proditos ex dictis

χρημείους

χρημαίσις per se constat: Attamen testimonium Ecclesiæ, quæ olim ab ipsis autoribus, quos in carne vidit, & viua voce docentes audiuit, libros illos accepit, & diu originales illorum literas custodiuit, quæ etiam supposititiis & adulterinis certo iudicio & discretione reiectis, illos ad posteritatem propagauit, & commendauit, magnificimus.

3. In his itaq; libris Canonicis affirmamus, constanter & magna *πληροφορία* contineri omnia, quæ ad fidem & mores necessaria sunt, & proinde non opus esse vlllo verbo non scripto, id quod ex sequentibus scripturæ testimoniis liquet.

4. Multa alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis quod Iesus est Christus ille Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen eius, Ioh. 20. v. 30. & 31.

5. Eludunt quidem hunc locum Pontificij, dicentes Iohannem loqui tum de miraculis tantum Christi, & non de omnibus fidei dogmatibus morumq; præceptis, tum de suis tantum scriptis, quæ si sufficerent, tum superfluas esse alias scripturas.

6. At contra: Etsi damus Iohannem loqui ibi de signis: tamen id quod sequitur, *Hæc autem scripta sunt*, non tantum ad signa, sed & ad doctrinam totam à se consignatam, quin ad alia etiam Euangelistarum scripta, quæ viderat & comprobauerat, referri hinc manifestum est: Quia non tam signa quam ipsa doctrina, cui obfigillandæ signa inseruiunt, hunc usum præstat, ut credamus quod Iesus sit Christus, &c.

7. Vnde sic concludimus: Si scriptura Euangelistarum hoc efficit, ut credamus, quod Iesus sit Christus, id est, Propheta, rex, summus sacerdos, & Filius Dei, atq; per fidem in nomine eius vitam habeamus æternam, tum omnia continet, quæ ad salutem nobis sunt necessaria.

8. Rursus si miracula ex Pontificiorum sententia, non tantum doctrinæ à Iohanne & reliquis Euangelistis ac Apostolis proditæ, sed etiam dogmatibus non scriptis obfignandis inseruiunt,

inferuunt, quæras, cur illa scripta, & eadem sæpius repetita, quædam autem maximè necessaria scripta non sint?

9. Si Euangelia & Epistolas suas sancti homines scripserunt *ὡς τὴν ἀσφάλειαν*, Luc. 1. v. 4. Philip. 3. v. 1. Cur non etiam reliqua, si tanti ponderis sunt, vt Pontificij volunt, non exarârunt?

10. Quam ob causam firmiter retinemus quod Irenæus scribit, Apostolos idem Euangelium, quod vna voce annunciarunt, diuina voluntate in scripturis tradidisse, ut esset columna & firmamentum veritatis. Et proinde extra has scripturas aliud Euangelium non agnoscimus.

11. Si Paulus Deum Patrium sic coluit, credens omnibus, quæ in Lege & Prophetis scripta sunt, Act. 22. ver. 3. certè in Lege & Prophetis omni, quæ ad verum cultum & pietatem pertinent, comprehensa sunt.

12. Si enim aliud quid crederet, quàm quod in Lege & Prophetis scriptum est, tum non rectè dixisset se, sic Deum patrium colere, dum credat omnibus, quæ in Lege & Prophetis scripta sunt.

13. Si Paulus testificatus est tum paruis tum magnis, nec quicquã dixit extra ea, quæ Prophetæ & Moses prædixerunt futura esse, Act. 26. v. 22. quantò magis nobis, qui præter scripta Mosis & Prophetarum etiam Euangelistarum & Apostolorum monumenta habemus, extra hanc scripturarum plenitudinem quicquam dicere nefas fuerit?

14. Si sacræ literæ Veteris Testamenti Timotheum ad salutem erudire (*σοφίσαι*, id est sapientem reddere) potuerunt, quantò magis hunc effectum nobis plenè & perfectè præstant literæ, non tantum Veteris, sed & Noui Testamenti, vbi in hoc præstita, quæ in illo prædicta & promissa fuerunt, 2. Timoth. 3. v. 15.

15. Eodem in loco Apostolus toti Sacræ scripturæ *θεοπνεύστου* hoc elogium tribuit, quòd utilis sit ad doctrinam, ad reargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in
D iusticia,

iusticia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum
plenè instructus, 2. Timoth. 3. v. 16. & 17.

16. Excipit Bellarminus elogiū hoc singulis scripturæ par-
tibus posse adscribi, siquidem singulæ aliquid momenti affe-
rant ad doctrinam, &c. Nec valere consequentiam: Vtilis est:
Ergo sufficiens.

17. Responsio: Primū, verum non est, singulis partibus
hoc elogium integrum tribui posse, siquidem aliās singulis
versibus scripturæ competeret, quod falsum est. Non enim
singuli versus hunc vsum præstant, vt doceant, falsam doctri-
nam redarguant, vicia emendent, vitam informant: Multò
minus hoc præstant, ut homo Dei, id est Doctor Ecclesiæ sit
perfectus, & ad omne opus bonum instructus.

18. Deinde si elogium Apostolicum tribueretur viuæ Apo-
stolorum prædicationi, tum absq; omni dubio eius perfe-
ctio & sufficientia inde euinceretur, quidn̄ igitur ex eodem
scripturæ plenitudo & perfectio concludetur?

19. Tertiò, Si consideres omnes illas partes, quæ à Docto-
re Ecclesiæ requiruntur ad hoc, vt sit ἀπτερός, perfectus, & ad
omne opus bonū instructus (ἐξνησιποιημένος, id est omnibus nu-
meris absolutus) vt sunt proponere sanam doctrinam, erro-
res cum illa pugnantes refellere, vicia corrigere, & vitam ho-
minum benè informare, tum certum est singulos libros scri-
pturæ non seorsim, sed cum aliis simul hunc vsum perficien-
di virum Dei præstare posse. Ergo tota scriptura sufficienter
utilis est.

20. Concedit etiam Bellarminus scripturam sufficienter
nos instruere, quia, quæ expressè non contineat, illa osten-
dat, vnde petenda sint.

21. At vbi ostendit? Hic remittit nos primū ad locum
Pauli 2. Thess. 2. ver. 2. Tenete traditiones, quas didicistis, siue
per sermonem, siue per Epistolam nostram, deinde ad lo-
cum eiusdem Apostoli, 1. Corint. 11. v. 34. Cætera cum venero
disponam.

22. Ad

22. Ad priorem locum quod attinet, dicimus adhortationem Apostoli tùm locum habuisse, cùm homines doctrinam viua voce nuper traditam memoria tenerent. Deinde Paulum in aliis scriptis tradidisse ea, quæ in duabus illis Epistolis ad Thessalonicenses omissa sunt.

23. Si verò Pauli mens hïc fuisset, Ecclesiam semper ad traditiones non scriptas remittere, tùm reliquæ Epistolæ, quin etiam hæc eadem superuacaneæ fuissent. Cur enim non simpliciter dixisset, tenete traditiones, vel credite, quæ Ecclesia credit.

24. In altero loco loquitur Apostolus de ceremoniis ad decorum Ecclesiæ pertinentibus, per se tamen liberis, quarum non potest passim esse eadem conformitas.

25. Vbi verò scriptura ostendit, aliquid extra scripturam quærendū, quod ad fidei dogmata morumq; præcepta pertineat, cùm ipsi Apostoli nihil extra scripturas Veteris Testamenti se dicere profiteantur, & Sacramentorum institutionem, & Administrationis formam simplicem tradiderint?

26. Quo modo primitiua Ecclesia, Iustino Martyre teste, Cœnam Domini simpliciter præmissa Oratione Dominica celebravit.

27. Cæterùm hæc scriptura, sicut sufficienter omnia fidei dogmata, & morum præcepta continet: Ita in primis necessaria fuit.

28. Scripturam Veteris Testamenti necessariam fuisse ratione iustus, & mandati diuini, extra controuersiam est.

29. At quo Spiritus diuini impulsu Moses & Prophetæ in Veteri, eodem Euangelistæ & Apostoli in Nouo Testamento scripserunt, vnde sequitur, hanc non minùs quàm illam *δεβπνδσον* & necessariam.

30. Idem omnes vsus scripturæ euincunt. Cùm enim doctrinæ puritas non semper, nec passim, sed apud paucissimos viuæ vocis traditione conseruata, nec Deo visum sit semper per nouas & peculiare reuelationes doctrinam instaurare,

Ipsa doctrina de fide & moribus omniq; cultu voluntate Dei
literis prodita est, vt sit Canon & regula, à qua neq; ad de-
xtram neq; ad sinistram nobis declinandum, vt sit in testimo-
nium populo Dei, Deut. 17. v. 20. & 31. v. 26.

31. Proinde secundum scripturam non tantum in Veteri,
sed etiam in Nouo Testamento omnes controuersia defini-
tae sunt, sicut antea exempla proposuimus.

32. Praeterea, Si scriptura propter ἀσφάλειαν doctrinae, con-
tra corruptelarum irruptiones, si ad confutanda dogmata sub
Apostolicarum traditionum praetextu ipsa, & alios erro-
res, si ad doctrinam nostram, si propter futuros exarata est,
magna profecto eius tum utilitas, tum necessitas est, sicut
passim hi vsus nobis in scriptura monstrantur.

33. Quibus de causis omnes traditiones cum scriptura pu-
gnantes, perniciosas & superstitiosas, quales in papatu mul-
tis seculis inveterarunt, reuicimus.

34. De ceremoniis autem, quae ad decorum Ecclesiae faci-
unt, & per se liberas observationes habent, non contendi-
mus, modò non cum opinione necessitatis, cultus & meriti
defendantur.

Errata sic corrigantur.

In disputat. de verb. Dei, thes. 19. pro id est arce, lege in arce. In ead.
th. 47. pro dixerit, leg. dixerint. In ead. th. 51. pro vers. 129. leg. 29. In ead.
thes. 56. pro intenti, leg. intentæ. In disputat. de interpret. script. thes. 2.
pro scripturis, leg. scriptura. In ead. thes. 44. primum, pro Spiritum san-
ctum, leg. Spiritus sancti, & mox, pro Spiritus sancti, leg. Spiritum san-
ctum.



AB 61 430

ULB Halle

3

002 694 131



SK





3.

THESES THEOLOGICÆ.
De Verbo Dei, seu Scriptura sacra.
De Verbi Dei interpretatione.
De Scriptura sacra plenitudine & sufficientia.

De quibus

AUXILIANTE SPIRITU SANCTO:

PRAESIDE IOHAN-
NE VVINCKELMANNO, SA-
CRÆ THEOLOGICÆ DOCTORE ET

Professore in Academia Marpurgensi, publicè
pro virili respondebit

M. IOHANNES SCRIBA GODELS-
heimensis Westphalus.

15. Nouemb. in auditorio Theologorum.



MARPURGI CATTORUM,
Imprimebat Paulus Egenolphus, Typogr. Academicus.

clō lō xclv.

3

